



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

LXXIV. Vtrum detur habitus purè emendatiuus, ac deletiuus peccatorum
præcedentium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

qualitatibus inuicem contrariis, quatum proinde est continua inter se pugna cum vicissitudine victoria; atque ex utroque capite diuersimodè affectum pro diuersis temporibus, disponit, ac impedit animum ad assimilem diuersitatem, ac per consequens reddit specialiter difficilem constantem eius uniformitatem circa quoduis difficile.

Artic. 4. Itaque habitus voluntatis intentius diurnitatis vniformis in adhaesione ad bonum difficile, idque propter ipsam bonitatem specialem durationis diurnae, est specie distinctus ab omnibus habitibus intentius boni difficultis secundum se, & propter solam illius in se bonitatem, praescindendo à bonitate speciali durationis diurnae in actibus eorundem habituum, aut volendo eandem durationem diurnam solum, vt obiectum materiale. Idem autem habitus intendens ratione sui, diurnitatem actus praexistens, est purè reflexiuus, quia nullum potest elicere actum, qui non feratur reflexè supra actum alium: impossibile siquidem est velle diurnam durationem alicuius actus quin sit volitus illiusmodi actus ipse duraturus diu. Eadem porro est ratio de aliis habitibus, quorum motuum adequatum fundetur in actibus voluntatis pro vt distinctis ab ipsorum obiecto, & à perfectione quae habetur ex eodem obiecto secundum se. Dantur igitur in voluntate habitus purè reflexiui in sensu explicato, & vterius manifestando multò magis ex dicendis, ex quibus etiam patebit necessitas, & vtilitas huius doctrinae praambulæ pro scopo quaestionum praesentium.

Ad 1. Conceditur, quòd benè probat argumentum, actum quemlibet directum posse esse obiectum materiale reflexè volitum per actum reflexum procedentem ab eodem habitu, ad quem pertinet ipse actus directus; ideòque necessarium non esse habitum peculiarem purè reflexiuum ad volendum reflexè actus directos secundum se, & secundum totam bonitatem identificatam adequatè cum iisdem. Ceterum id non probat dari non posse specialem rationem boni difficultis fundatam essentialiter in actibus directis, iisdemque superadditam ex peculiari aliqua circumstantia, & amabilem propter se simul cum iisdem actibus directis. Quale bonum dictum est esse ex.gr. diurnam durationem actus. Non igitur probat repugnare in voluntate habitus purè reflexiuos vniuersaliter, & à toto genere.

Ad 2. Quicumque est promptus, & facilis ad amorem aliquem reflexum efficacem, est utique promptus eo ipso, & facilis ad actum directum, qui terminat illum reflexum. At non conuertitur facilitas haec, & promptitudo ab actu directo ad quemlibet amorem reflexum ipsius, ex quouis alio motiuo conceptum. Fieri namque potest, vt quis sit facilis ad opera pietatis, & misericordiae, aut studij, atque similia, & nihilominus non sit facilis ad perseverandum in illis quantum dicat recta ratio, & consequenter nec sit facilis ad concipiendum amorem reflexum efficacem, supra priores illos actus, ex motiuo diurnae durationis in ipsis, conformiter ad rectam rationem. Non igitur superfluit, sed est valde utilis, ac necessarius habitus peculiaris adequatè reflexiuus, qui feratur ad eosdem illos actus formaliter, vt affectos ea circumstantia durationis diurnae, idemque dicitur de aliis eiusmodi.

Ad 3. Habitus reflexiuus exhibens munus aliquod peculiare circa actus aliorum habituum, necesse est, vt eodem munere fungi possit circa actus etiam proprios. Ex eodem namque motiuo, ex quo quis vult perseverantiam ex.gr. in actibus aliarum virtutum potest etiam velle perseverantiam in perseverando, & sic de similibus vniformiter reflexionibus sine fine. Quia adest eatenus eadem specifica ratio

bonitatis circa proprios, & alienos actus. Vnde nullus est locus processus in infinitum quoad habitus reflexiuos.

Ad 4. Datur quidem in quouis actu bonitas aliqua dissidens specie à bonitate obiecti, à quo ipse specificatur; ideòque quilibet actus directus potest terminare actum reflexum distinctum specie ab ipso actu directo. Ceterum nullus est actus directus, cuius secundum se praecisè amor reflexus sit difficultis difficultate diuersae speciei ab ea difficultate, quae inest ipsi actui directo. Quia cuilibet actui est essentialis, vt superet per se ipsum omnem difficultatem, quae potest retardare voluntatem quominus eum eliciat. Manifestum autem est in volendo reflexè elicere actum aliquem directum, si nihil praeterea aliud interponatur, nullam posse esse difficultatem diuersam ab ea quae est in eliciendo liberè eodem actu directo. Omnis namque difficultas volendi opus, seu internum, seu externum consistit adaequate in difficultate eiusdem operis secundum se, quandoquidem ipsum velle ex conceptu suo essentiali est quidem placens voluntati, ideòque summè facile ex se praecisè, & praescindendo à difficultate obiecti. Necessè igitur est, vt habitus quilibet purè reflexiuus versetur circa rationem peculiarem boni difficultis vniuersalioris, & non mutuo conuertibilis cum actibus, & obiecto cuiusque habitus particularis directi. Quae autem sunt ad aliquid vniuersalius, non possunt tantumdem multiplicari atque ea, quae sunt ad minus vniuersale, aut ad singulare. Non ergo sequitur inconueniens intentum.

QVÆSTIO LXXIV.

Virum detur habitus purè emendatiuus, ac deletiuius peccatorum praecedentium?

Videtur nullus talis habitus dari posse. 1. Quia ad eundem habitum pertinet praecavere malum, antequam eueniat, & idem reparare, postquam euenierit. Ab eodem namque motiuo mouetur voluntas ad vtrumque; quandoquidem existentia mali, & eiusdem perseverantia opponuntur eidem bono, eodemque prorsus modo. Igitur habitus emendatiuus, ac deletiuius peccati postquam commissum est, necessariò est indistinctus ab habitu impeditiuo peccati, ne existat. Et consequenter emendatio, ac deletio totius collectionis peccatorum pertinet ad totam collectionem habituum, quibus continentur omnes vniuersim virtutes; nullusque praeterea est necessarius, aut etiam possibilibus habitus peculiaris purè emendatiuus, ac deletiuius, seu qui simul praecautius non sit, atque impeditiuus peccatorum.

2. Impossibile est voluntatem inclinari, ac determinari aliquo motiuo ad dolorem, & odium de aliquo malo, quin eodem motiuo inclinetur, ac determinetur ad amorem, & gaudium circa bonum oppositum. Quia omne odium, omnisque dolor de malo, fundatur in amore boni oppositi; atque motiuum amoris, cum est praesens, causat gaudium; sicut causat desiderium, cum est absens, vnde fit, vt sicut amor, desiderium, & gaudium, sunt circa idem, vt praesens, vt absens, & vt praescindens ab absentia, & praesentia; ita etiam sunt, simili modo circa idem, odium, timor, & dolor, seu tristitia. Impossibilis igitur est habitus, cuius motiuum possit tantummodo inducere dolorem emendatiuum, & deletiuum peccatorum praecedentium, & non etiam inducere valeat odium illorum praescindens à deletione, & praecautione, necnon timorem praeseruarium à peccatis.

3. Habitus

Quæst. LXXIV. Vtrum detur habitus, &c. 433

3. *Habitus purè emendatiuus, ac deletiuius peccatorum, nec iusto inesse potest, nec peccatori. Non iusto, quia iustus non habet peccata, quæ delere possit, & consequenter nec quo delere possit, habet. Sed neque peccatori inesse potest, quia qui adhuc est peccator, præsertim si prima vice peccator est; nullum vnquam deleuit peccatum, qui autem nullum vnquam deleuit peccatum, non potest habere habitum, & consuetudinem delendi peccata: sicut non potest habere habitum, fortitudinis, ac iustitiæ, qui nulli vnquam restitit terribili, aut nulli vnquam tribuit ius suum. Quæ quidem ratio conuincit clarè de habitu acquisito. De infuso verò res est clarior, quia peccatori nullus inest habitus infusus præter fidem, & spem, vt fert communis, & vera Theologorum sententia, de qua alibi dictum est. Iusto autem nullum Deus infundit habitum, qui nulli vnquam vsui esse possit. Perperam enim infunderet, & Deus nihil perperam facit, aut facere potest. Nulli igitur inesse potest talis habitus. Impossibile autem est accidens, quòd nulli inesse potest ex natura sua.*

4. *Peccator delet peccata sua: tum restituendo Deo honorem læsum per iniuriam ipsius Dei, quæ est de ratione peccati; atque hoc pertinet ad iustitiam commutatiuam: tum sumendo vindictam de se ipso, per se ipsum, tanquam iudicem sui, & vindicem culpæ commissæ; atque hoc pertinet ad iustitiam vindicatiuam: tum exhibendo cultum Deo debitum, cui contrauenerat peccatum; atque hoc est munus proprium religionis: tum conuertendo se ad Deum à quo peccatum auerterat; atque hoc præstat charitas; quæ etiam ipsa restituit pacem, & amicitiam cum Deo turbatam atque extinctam per peccatum. Ergò emendatio, ac deletio peccatorum spectant ad habitus istarum omnium virtutum, aut ad aliquem ex ipsis, seu vagè, seu determinatè. Nullus autem ex his habitus est purè emendatiuus, ac deletiuius peccatorum, vt per se patet; quia omnes absolute possunt exerceri nullo præsupposito peccato. Nullus igitur talis habitus aut necessarius, aut utilis est, ac proinde, nec possibilis est.*

5. *Nullus datur habitus purè conseruatiuus innocentie nondum amissæ. Ergò nullus datur purè reparatiuus eiusdem iam amissæ. In antecedenti omnes conueniunt. Probatur consequentia. Quia reparatio innocentie non est motium voluntatis magis dissidens ab ipsa innocentia secundum se, quam eiusdem conseruatio.*

6. *Per eundem iustitiæ habitum, per quem vitatur ablatio iniusta, restituitur etiam quòd ablatum fuerat; nec datur vllus peculiaris habitus purè restitutiuius, ergò per eundem, aut eosdem similiter habitus, per quos vitatur vnumquodque peccatum, emendatur, ac deletur idem peccatum, postquam commissum est. Patet consequentia, quia emendatio, & deletio peccati cuiuscunque demum generis sit, est quoddam genus restitutionis; certè est iusta quædam restitutionis imitatio; vtpotè reponens tantundem boni quantum amissum fuerat per peccatum. Antecedens stabilitum est qu. 23. de Iustit. ex indubitato omnium consensu.*

7. *Admissio habitu purè emendatiuo, ac deletiuius peccatorum, admittendus consequenter esset habitus alius purè emendatiuus, ac deletiuius imperfectionum moralium. Imò multiplicandi essent habitus purè emendatiui, ac deletiui, tum peccatorum, tum imperfectionum iuxta multiplicatam speciem ipsorum peccatorum, & imperfectionum. Quia multiplicatis obiectis specie, necesse est proportionaliter multiplicare specie habitus, qui versantur circa illa; Atque vbi adest par ratio inducendi habitum peculiarem, debet omninò retineri consequentia.*

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

quentia admittendo illum; atque multiplicando, quando postulat ratio legitima consequentia. Nequit autem admitti absolute talis consequentia. Quia consequens repugnat communi sensui.

Artic. 1. Respondetur actus peccaminosus, postquam desinit esse actualiter in se intrinsecè, manet nihilominus habitualiter duplici modo, vt dictum est quæst. 5. & 11. de iustif. affectiue nimirum, & effectiue. Permanentia habitualis affectiua, consistit in actuali animi dispositione inductiua similis actus peccaminosi, si occurrat similis occasio, nec intercedat noua deliberatio, vi cuius inducatur actus contrarius retractatiuus prioris actus mali, & disponens animum simili modo ad oppositum actum bonum. Constat nimirum experientia actum deliberatum postremò exercitum, quæcunque demum sit eius materia, pollere vi maxima ad pertrahendum animum, vt approbet propositum præconceptum; vtque eliciat actum similem priori, quoties occurrerit similis occasio, eumque inducere de facto, saltem vt plurimum, nisi adhibeatur noua deliberatio, vi cuius superetur imperus inclinationis illius habitualis.

Artic. 2. Permanentia istiusmodi habitualis purè affectiua peccati, tollitur, formaliter quidem per actum virtutis contrariæ vitio, quo peccatum fuit, imò, & per actum vitij oppositi, virtualiter verò, & implicite tollitur per quemlibet actum motiui, vniuersalis contrarij, atque per actum charitatis tollitur quoad conceptum etiam auersionis affectiue à Deo. Quapropter ad emendationem, & deletionem peccati, quatenus affectiue tantum permanentis habitualiter, sufficiunt habitus, seu virtualiter, seu formaliter contrarij habitibus vitiosis, ad quos pertinent singula peccata; nec est necessarius vllus habitus purè reflexiuius, & purè emendatiuus, ac deletiuius peccatorum sub eo conceptu; nisi forte commissum esset peccatum per actum vitij purè reflexiui.

Artic. 3. Permanentia habitualis effectiua peccatorum consistit in permanentia actuali effectuum inductorum per peccata. Hi porro effectus sunt in duplici rursus differentia. Alij enim effectus inducuntur, per actus peccaminosos, in genere causæ, tum formalis, tum efficientis propriè talis. Eiusmodi effectus sunt habitus vitiosi, & actiones exteriores, ex quibus alij vltèrius effectus sæpè propagantur. Omnes istiusmodi effectus, & permanentia habitualis per ipsos constituta possunt auferri, vt patet, per easdem illas virtutes vnicuique vitio directè, vel indirectè contrarias modo nuper explicato. Alij effectus peccatorum inducuntur per ipsa, in genere causæ demeritorie. Quo pertinent omnia mala quæ Deus infligit peccatori in pœnam suorum peccatorum propriè talem; necnon ipsa offensio, & odium, quo illa infligit.

Artic. 4. Posteriores istos effectus pœnales, & permanentiam habituales in illis consistentem non potest tollere se sola qualibet promiscuè virtus opposita vitio, cuius actu commissum fuit peccatum. Qui enim mentitus, aut furatus est, tametsi veritatem postea manifestet, aut restituat, quod abstulerit iniuste; non ob id præcisè liberatur à iusta, contra se offensione Dei contempti, ac læsi per peccatum; & à pœnis ea de causa sibi debitis. Sed necesse insuper est, vt satisfaciatur Deo offenso humiliando se coram ipso, vtque eum placeat per opera eidem placentia, se verò puniat per opera sibi molesta; atque in hunc modum compense delectationem illicitam, quàm aduersus legem Dei, & cum Dei contemptu, sibi nimium indulgendo, vsurparat.

00

Art. 5.

Artic. 5. Est autem imprimis specialiter honestum, & laudabiliter appetibile ratione sui placare Deum offensum, compensare praecedentia peccata, liberari à poenis eorum, eademque penitus extinguere quoad vim impeditivam Beatitudinis æterni, vel ad tempus. Quia quoddam hæc praestentur modo praedicto, confert specialiter ad consecutionem beatitudinis, quæ est finis hominis, ideoque est regula totius honestatis iuxta dicta quæst. 20. de actibus hum. Deinde idipsum est specialiter difficile. Quia sit peccatore saeviente in se ipsum, & substituendo dolorem, atque opera poenalis loco praecedentis delectationis inhonestæ. Demum istud peculiare bonum difficile emendationis compensatiuæ ac deletivæ peccatorum est essentialiter fundatum in peccatis praecedentibus, eaque essentialiter praesupponit, nec intendi potest nisi dependenter ab eo quoddam praecesserint peccata; cum compensatio, & deletio sint essentialiter relatiuæ ad id, pro quo sit compensatio, & quod deletur. Datur igitur habitus purè emendatiuus ac deletivus peccatorum praecedentium, impotens proinde elicere ullum actum, qui non reflectat supra praecedentes actus peccaminosos. Quæ illatio est manifesta ex dictis in quæst. praeced.

Ad 1. Non pertinet ad eundem habitum praecavere, & reparare malum, quando praecavetur malum per positionem immediatam eius boni, in cuius privatione idem malum formaliter consistit; reparatur verò per positionem alterius boni specie distincti, quia tunc istud bonum specie distinctum fundat habitum distinctum similiter specie; Peccata autem praecaventur per immediatam positionem actuum bonorum in quorum privatione consistit formaliter malitia peccatorum. Unde praecavere peccata omnia, est opus omnium virtutum, & singula, singularum. At reparatio peccati non obtinetur à peccatore per solam positionem actus boni contrarij, sed per opera satisfactoria placantia iram Dei, & substituta poena peccati. Quod habet specialem honestatem, & difficultatem, ut dictum est.

Ad 2. Unusquisque habitus habet eos tres actus, sed circa proprium motivum, aut fundatos in eodem. Quia propter habitus purè deletivus peccatorum, desiderat deletionem, nondum obtentam; gaudet de obtenta, & amat eam, quando proponitur cum præfessione ab absentia, & praesentia. Timet similiter, si immincant impedimenta deletionis; dolet de impedita, ac prætermissa deletionem, & odit impeditionem secundum se. Cæterum actus præcautivus peccatorum non praesupponit alia peccata nullos habet, saltem absolutos. Quia nullos tales complectitur sub se motivum ipsius, atque limites motivi sui formalis nulli habitus prætergredi possunt.

Ad 3. Iusto inest habitus per se infusus purè deletivus peccatorum, ut per ipsum delere possit peccata venialia secundum se tota, necnon lethalia quoad reliquias ipsorum. Peccatori potest inesse habitus acquisitus eiusdem generis (licet diversæ speciei, & rationis longè inferioris iuxta dicta in qq. de Virtutibus in communi cum pluribus Theologis (pro deletionem omnium peccatorum secundum se tota. Nempe potest permanere in peccatore relapso post secundam, tertiam, &c. Iustificationem. Potest itidem generari repetita sæpè intentione delendi peccata, tamen nunquam ea deleverit de facto. Nec enim delet peccata hic habitus immediatè per se ipsum, aut per suos actus elicitos, sed per imperatos, & per adiunctam, deinde misericordiam Dei, ut infra dicitur quæst. 77. ac deinceps. Unde non comparatur cum deletionem peccatorum, sicut fortitudo cum victoria terribilium, & iustitia cum red-

ditione iuris; sed ad eum potius modum, quo comparatur eadem fortitudo cum victoria hostis, & iustitia cum pace, & tranquillitate mutua inter ciues; in ordine ad quos fines possunt ambæ sæpius exercere suos actus, antequam eosdem fines consequantur de facto. Habitus verò purè deletivus per se infusus non inest peccatori nisi secundum actum, ut dicitur quæst. 81.

Artic. 1. Ad 4. Opera, quæ conferunt ad deletionem, & expiationem peccatorum, possunt imperari per plures virtutes, nullaque est virtus, quæ non possit elicere aliquem actum conferentem aliquo modo ad deletionem peccati, saltem pertinentis ad vitium sibi oppositum directè. Quia ut minimum potest illud retractare affectivè per actum suum. Qualibet namque virtus est sufficiens se sola, ad eliciendum actum proprium, circa suum motivum, etiam post commissum peccatum in propria eius materia. Unde consequenter potest quilibet virtus superare se sola difficultatem illam peculiarem, quæ invenitur in respiciendo, & in retractando actu praecedenti, atque in reprobanda propria electione prius facta, ut observatum est circa actum restitutionis, quæst. 23. de Iustit. Hæc porro fuit occasio, vel unica, vel certè præcipua æquivocationis, & fallaciæ confundentis totaliter habitum emendatiuum, ac deletivum peccatorum cum tot aliis habitibus, quot indicantur in obiectione, quorum in eius scopum, patroni videri possunt apud Dicastillum disp. 1. dub. 2. & alios in praesenti. Est enim error latè patens.

Artic. 2. Omnes itaque virtutes conveniunt cum habitu purè emendatiuo, ac deletivo peccatorum in eo quod præstare possunt aliquid conferens ad deletionem peccatorum, & eo plus, quo sunt motivi, & universaliore, & præstantioris; cæterum differunt clarissimè ab eodem habitu, quatenus motivum formale huius habitus est ipsa deletio peccatorum, eandemque non habet, pro motivo formali, alia ex virtutibus enumeratis in obiectione. Habitus autem specificantur ex motivis formalibus, & multiplicantur specie iuxta multiplicatam specificam eorum, non verò iuxta multiplicatam effectuum conferentium ad finem aliquem particularem. Id quod multis exemplis luculenter demonstrari potest, atque inter alia apparet clarè in solutione debiti, quæ fieri promiscuè potest, variatis præsertim circumstantiis, à virtute charitatis misericordiae, gratitudinis, amicitiae, &c. & confert, utcumque fiat ad constituendam aequalitatem iurium. Verum quia hæc aequalitas intenditur formaliter à solo habitu iustitiæ, propterea iustitia distinguitur specie ab illis aliis virtutibus. Similiter ergo contingit in re nostra. Quia videlicet habitus differunt ex finibus, ut communiter dicitur, & non præcisè ex officiis.

Ad 5. Innocentia præexistit ante omnes actus ipsius innocentis, & incipit conservari exercitio omnium indiscriminatum virtutum, utpotè continentium in se adimpletionem totius legis obligantis per se; conservatur verò diutius superaddita virtute purè reflexiva perseverantiae; nec ultra superest bonum aliquod speciale pertinens ad innocentiam, quod intendi possit per aliquem alium habitum distinctum ab habitibus praedictis. Quia innocentia est indistincta à vitiatione omnium peccatorum non praesupponentium aliud peccatum, eamque præstant praedictæ virtutes, non materialiter, sed formaliter; at interposito aliquo peccato corruptente innocentiam, protinus adest motivum aliud formale specificativum habitus purè reflexivi, distinctum specie à motivis praedictarum omnium virtutum. Qui habitus obsequitur legi obliganti tantum ex suppositione

suppositione accidentali peccati, vt liquet ex præmissa superius eiusdem motui, & habitus declaratione. Discrimen igitur est manifestum.

Ad 6. Patet ex dictis circa 4. & præterea apparebit ex dicendis qu. 79. art. 3. & 7. quam sit re ipsa diuersus actus intentionis deletionis peccatorum ab intentione restitutionis, esto detur aliqua inter vtramque affinitas ex parte, vt dicitur ibidem.

Artic. 1. Ad 7. Habitus imprimis non multiplicatur ex multiplicitate specifica obiectorum materialium, sed quæcunque complectitur vnicum specie morium, pertinent eatenus ad vnicum specie habitum, vt apparet in omnibus communiter notis ac receptis virtutum habitibus ex communi, & certa sententia. Peccata autem sunt obiecta purè materialia respectu habitus purè deletiui ipsorum, & comprehenduntur vniiformiter sub ratione emendationis deletiue, quæ est motuum eius habitus proprium. Ad eum vtiq; modum, quò omnes omnium virtutum actus comprehenduntur sub vna ratione formali durationis diuturnæ, sub qua proinde omnes terminant vnicum habitum perseverantiæ, quæ propterea est specialis, & vnica virtus circa omnes actus bonos. Differentia enim ad hoc vnum tota reuocatur, quòd virtus perseverantiæ respicit formaliter honestatem, & difficultatem peculiare, quæ insunt vltiori durationi cuiusque actus boni; Habitus verò purè deletiui peccatorum versatur formaliter circa honestatem, & difficultatem, peculiare, quæ reperiuntur in impediendi vltiori duratione, ac permanentia cuiusque peccati.

Artic. 2. Deinde actus imperfecti nullam habent vim demeritoriam, ideoque relinquunt post se permanentiam habitalem, affectiuam quidem sicut peccata, effectiuam verò, non nisi eam quæ in actiuitate physica ipsorum continetur. Constat autem ex dictis ad quæstionem artic. 2. & ex responsione ad quartum, ad tollendam vtramque eam perseverantiam sufficere virtutes directas elicitivas actuum contrarium; Nec inde superesse motuum formale sufficiens ad fundandum aliquem habitum peculiarem purè reflexiuum: quale tamen fundamentum adest in actibus peccaminosis, vt liquet ex dictis in tota ista quæstione.

QVÆSTIO LXXV.

Vtrum habitus purè deletiui peccatorum sit propriè virtus, eaque Pœnitentiæ?

Videtur non esse. 1. Quia Philosophus 4. Ethic. cap. 9. dicit quod de verecundia vt de quadam virtute non conuenit dicere. Passioni magis assimilatur, quàm habitui. Et rursus ibidem addit, quod studiosi, idest virtuosus, seu virtutibus delicti, non est verecundia. Quorum non alia ratio est, nisi quia de conceptu verecundiæ est, vt præsupponat peccatum. Quia de causa subdit Philof. sub finem eius cap. Pudor probi viri esse nullo pacto potest; cum ob malas res exorietur. Est autem similiter de conceptu habitus purè deletiui peccatorum, vt præsupponat peccata, vtiq; ob ea exorietur. Ergò neque hic habitus est virtus.

2. Virtus definitur à Philof. 7. Phys. text. 17. *Dispositio perfecti ad optimum*. Perfectum verò definitur rursus ab eodem ibidem: *Quod est dispositum secundum naturam*; idest secundum exigentiam, & appetitum suum innatum; habitus autem purè deletiui peccatorum non est dispositio perfecti, seu dispositio secundum naturam. Quia est dispositio propria habentis

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

tis peccata; atque peccata non sunt secundum naturam, sed potius exigentiæ & appetitui naturali contradicunt. Ergò hic habitus non est virtus.

3. Non habet rationem virtutis, quod non potest inesse ei, qui est maximè virtuosus: sicut non habet rationem sanitatis, aut sapientiæ, quòd nequit inesse maximè sano, aut maximè sapienti. Habitus autem deletiui peccatorum non potest inesse nisi peccatori, vel saltem potenti peccare; quorum neuter est maximè virtuosus. Magis enim virtuosus est, qui nunquam, quàm qui aliquando peccauit, & magis adhuc, qui peccare nunquam potest. Virtus enim est contraria peccatis, & summa virtus, pœnitentiæ etiam peccandi; vt apparet in Christo Domino, & in beatis omnibus.

4. Nullus est stultus eorum, qui sunt secundum virtutem, vt habetur ex philof. 4. Ethic. Stultum autem est dolere de præterito, Quod videlicet fieri non potest, vt non fuerit. Eiusdem rationis est conari ad delendum præteritum, quòd iam non est de præsentis. Quapropter nulla opus est deletionem, vt non sit illud de præsentis; vt verò non fuerit de præterito, nulla deletionem fieri potest. Ergò habitus deletiui peccatorum non est virtuosus, sed stultus.

5. Habitus amatiui peccatorum nequit esse virtuosus. Habitus autem deletiui peccatorum, est amatiui eorum. Quia vult opus deletionis peccatorum, secundum rationem differentialem talis operis ab opere, quod non est deletio peccatorum. Opus autem delendi peccata, quatenus tale differt formaliter ab opere, quòd vel non est deletiuium peccatorum, vel intenditur, vt præscindens à vi deletiua eorum hic, & nunc. Differt inquam formaliter per præsuppositionem peccatorum. Necessè igitur est, vt qui intendit deletionem peccatorum, quatenus, talem formaliter, eo ipso velit, quòd præexistere peccata, atque ideo est necessè, vt afficiatur ad illa. Quòd ex eo præterea confirmatur, quia qui vult efficaciter aliquid, necessè est, vt velit ea omnia, sine quibus illud subsistere nequit. Nequit autem subsistere deletio peccatorum absque eorum præexistentia, vt per se patet. Ergò habitus quo quis vult efficaciter delere peccata, necessè est vt indiuisim sit habitus volendi peccata vt præexistentia, seu volendi præexistentiam peccatorum.

6. Habitus deletiui peccatorum, neque virtus Theologica esse potest, neque moralis. Ergò nulla nequit esse Theologica, quia motuum formale virtutis Theologicæ est Deus, seu est indiuisim à Deo. Deletio autem peccatorum distinguitur adæquate à Deo. Quia incipit esse tempore, & inducitur operatione humana. Sed neque moralis virtus esse potest. Quia virtus moralis, ex suo conceptu, consistit in medio inter excessum, & defectum vt docent omnes cum Philosopho. In deletionem autem peccatorum, esto accidere possit defectus; excessus tamen nullus vnquam dari potest. Quia fieri non potest, vt peccata nimis deleantur, cum oporteat ea summè deleri. Verum neque defectus accidere potest iuxta sensum philosophi. Quia vnumquodque peccatum consistit in indiuisibili; ideoque fieri non potest, vt deleatur quidem; sed minus, quàm oportet. Præterea omnis virtus versatur, vel circa passiones, vel circa operationes ad alterum iuxta celebrem virtutum diuisionem ex Philosopho. Habitus autem deletiui peccatorum, nec restringitur ad moderandas passiones, quia delet indiscriminatim qualibet peccata, vt dictum est supra; nec est ad alium; quia vt sua quisque peccata delect, ipsius tantum intest.

7. Vt hic habitus sit virtus aliqua; virtus tamen Pœnitentiæ esse nequit. Primò quia pœnitentiæ

O o 2 est